



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Brevis Et Vtilis Commentarijs In Priorem Epistolam Pauli  
ad Corinthios, & in aliquot capita secundæ**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergæ, 1561**

**VD16 M 2618**

De Excommunicatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36296**

CORINT: CAP. V. ,

cendum erit. Nunc addatur doctrina de  
Excommunicatione.

DE EXCOMMUNI-  
CATIONE.

Incestum, cuius delictum fuit manife-  
stum, Paulus ejicit ex Ecclesia. Hoc ex-  
emplo ostendit, quomodo puniendi sint  
in Ecclesia rei manifestorum scelerum, &  
cum postea in secunda Epistola narrat  
hunc incestum, post conuerisionem, in Ec-  
clesiam recte receptum esse: Illustre testi-  
monium proponit contra Nouatianos,  
quod ostendit, lapsis agentibus poenitenti-  
am uerè remitti peccata, eosq; in Ecclesi-  
am recipiendos esse, de quo Articulo di-  
cendum erit suo loco. Nunc doctrina de  
Excommunicatione consideretur, in qua  
primum sciendum est discrimin ministerij  
Euangelici, & potestatis politicæ. Cumq;  
eius discriminis multæ partes sint, nunc  
tantum de poenarum doctrina dicam.

Potestas politica cohercit et punit ui-  
corporali, & contumaces capitali suppli-  
cio afficit.

Sed Ministerium Euangeliū cohercit  
& punit tantum uerbo, sed eo ordine,

C quem

I. EPISTOLA AD

quem Christus Matth: capite 18. recitat.  
Primum moneatur is, qui deliquerit, Si non  
obtemperat, postea enunciatur ex Ecclesia  
publica sententia, ut ibi dicitur: Dic Ec-  
clesiae, id est, praecepis ministris & iis,  
qui in cognitionibus adiunguntur.

Hæc consuetudo non primum instituta est à Messia, Sed est uetus mos Sacerdotum Leuiticorum, qui suo loco disciplinam talibus iudicis tutati sunt, etiam si potestas politica alia iudicia & alias poenas habebat, quæ ut solet, in disciplina tuerenda negligentior erat, Nec dicam prolixius de hoc loco. Tantum illud addo, hunc neruum disciplinæ non negligendum esse.

Quod uero ait: Trado eum Satanæ ad uexationem carnis, ut Spiritus saluus fiat, Vere ita sentendum est, Excommunicationem in Ecclesia non esse inane terriculamentum, sed efficax & diuinum fulmen, & sequi poenas in corpore & rebus, quibus castigati ad poenitentiam reuocantur, sicut de uetusissima excommunicatione dicitur ad Abraham: Maledicam maledicentibus tibi: Et cum Ambrosius scribam Stilliconis tali sententia puniasset, Scribæ mota est mens per ali-

quod

quod tempus, quo morbo admonitus,  
postea se emendauit, & ab Ambroſio rur-  
sus in Ecclesiam receptus est.

## DE PASCHATE.

VT ostendat Paulus hoc iudicium ne-  
cessariō in Ecclesia retinendum esse,  
addit similitudinem: ut in Paschate Iuda-  
ico fermentum tollendum fuit. Sic nos ex  
Ecclesia fermentum tollamus. Deinde in  
enarratione Typi Paschatis aliquantisper  
commoratur, monet institutum esse eſum  
Agni, ut mors Meſſiæ ſignificaretur. Ac  
tota Paschatis Allegoria aliās copiosius  
enarranda eſt. Hic uocabula in textu ob-  
ſeruentur.

Celebremus Festum in azymis  
ſinceritatis & ueritatis. Veritatem op-  
ponit mendacijs & falsis opinionibus, &  
uocat ueritatem uerae doctrinæ de Deo a-  
gnitionem & confessionem. Sincerita-  
tem opponit hypocriſi, falſae inuocationi  
ſine Timore, Fide, Constantia. Et uocat  
Sinceritatem, non fucatas uirtutes, Timo-  
rem, Fidem, Inuocationem, Constantiam  
fidei.

C 2 De liti-